

Neues Archiv

der

Gesellschaft für ältere deutsche Geschichtskunde

zur

Beförderung einer Gesamtausgabe

der Quellschriften deutscher Geschichten des Mittelalters.

Zwanzigster Band.



Hannover und Leipzig.

Hahn'sche Buchhandlung.

1895.

Zwei Briefe Gregors XII. an den Pfalzgrafen Ludwig vom Rhein.

Mitgetheilt von J. Loserth.

I.

Gregor XII. an den Pfalzgrafen Ludwig: Er habe den an ihn gesandten Boten, Magister Heinrich, nach Wunsch abgefertigt und erwarte mit Begierde die Antwort des Pfalzgrafen auf die ihm durch Johannes de Pruscia und Bussonus de Berlim zugesandten Briefe. Rimini 1413 Oct. 12.

(E cod. III, 79 bibl. univ. Graec.; est codici in fronte alligat.)

Gregorius episcopus servus servorum dei dilecto filio nobili viro Lodovico comiti palatino Reni salutem et apostolicam benedictionem. Dilectus filius magister Henricus decretorum doctor, qui ad presentiam nostram venit cum literis nobilitatis tue, ad eam revertitur secundum tua vota expeditus et de occurrentibus informatus. Itaque ad alia nos non extendimus in presenti, nisi quod, ut per alias tibi scripsimus, dilectos filios magistros Iohannem de Pruscia capellanum et Bussonum de Berlim bachelarium in decretis nuntios nostros, quos iste refert iam ad tuam, cum discessit, presentiam attigisse, cum responsis avidè expectamus, ut possimus eligere et salubrius providere.

Datum Arimini IIII. idus octobris, pontificatus nostri anno septimo.

G. de Imola.

Orig. in perg.

II.

Gregor XII. an den Pfalzgrafen Ludwig: Die Nachrichten, die dieser von dem Treiben der Gegner gesandt habe, gefallen ihm ebensowenig, als die Unternehmungen Sigismunds von Ungarn, von dem er besseres erwartet hätte. Rimini 1414 Febr. 27.

(Est alligat. cod. III, 79 bibl. univ. Graec. in fine.)

Gregorius episcopus servus servorum dei dilecto filio nobili viro Lodovico comiti palatino Reni salutem et apostolicam benedictionem. Fictiones ille, quas tua nobilitas scribit ab adversariis in illis partibus emanasse, nobis displicent, cum a fonte maligno derivent et similes sint illis, que facte fuerunt in conciliabulo Pisano, unde tot sunt secuta mala, utinam non eveniant graviora de hoc secundo per eos Constantie ordinato. Sed nec minus displicent cepta, principia et modi hucusque retenti per principem istum Hungarie, super quibus a iam diu decrevimus ad te et alios remittere, quoniam gravia sunt et non ad pacem tendentia, sicut credimus etiam te sentire. Et quamvis sit retardatum de mittendo, nichilominus omnino decrevimus mittere. Sed quia nondum habuimus, quod modi transmissi tibi venerint ad notitiam ipsius regis, per quos poterat satis comprehendere de intentione nostra, deliberationes nostre retardate sunt. Ab ipso quidem initio et continue optimum putavimus ipsos modos copiose communicari, quod et desideravimus, et presertim voluissemus pervenisse ad noticiam ipsius regis, de quo aliter sperabamus quam nunc percipiamus. Deus tamen, in quo spem nostram posuimus, omnia reparare potest et evacuare omnes iniustos conatus, contra quos decet tuam nobilitatem et alios catholicos et fideles se in virtute altissimi opponere, et, cum res et tempus postulent, occurrentia queque super hiis, quam frequencius potes, mittere vel scribere secundum exigenciam non retardes.

Datum Arimini III. kalendas martii, pontificatus nostri anno octavo.

G. de Imola.

Orig. in perg.
